



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. II. De Cultu exteriori Cordis Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

## CAPUT II.

*De cultu exteriori Cordis Dei JESU.*

**Q**Uæ pertinent ad cultum exteriorem Cordis Jesu, nihil discrepant ab iis quæ in aliis religionis officiis ab Ecclesia probatis observari solent. Præcipua capita breviter percurremus.

## I.

In primis, maxima ratio habenda est eorum, quæ Jesus ipse in supra memorata revelatione expresse præscripsit. Itaque singulis annis, ut in similibus officiis usuvenit, dies una cultui Cordis Jesu dedicanda est; festumque sacratissimi Cordis maxima qua fieri potest solemnitate ac pietate celebrandum.

Porro diem hanc Dominus ipse definivit, nempe feriam sextam octavæ Corporis Christi proximam. Illa igitur dies tota in colendo Corde Jesu consumenda est. Quod ut recte fiat, necesse est apprime cognoscere, seduloque perpendere quæ sit hujus festi ratio? Quod Christi in illo instituendo consilium? Quis finis? Quis scopus? Qua intentione celebrandum sit? Quo affectu? Quibus animi sensibus? Ad quæ probe intelligenda conducet ea legere, & meditari, quæ cap. 4. l. 1. & cap. 1. & 3. lib. 2. explicata sunt.

Accedendum ad penitentiae Sacramentum, in quo, hac quidem die, decet & expedit confiteri summo animi dolo-

dolore, quicquid contra Jesum in Eucharistia residentem per totam vitam peccatum est, irreverentiis, sacrilegiis, negligentia, tepore, &c. Tum Christi Corpus sumendum: quod eo ferventius hac die præstari convenit, quod hæc sacra communio ad aliarum defectus compensandos ordinari debet. Post cœlestes epulas, adhibenda violati honoris expiatio ad sacrosanctum Cor Jesu directa, quemadmodum Dominus expressis verbis postulavit. Hæc autem expiatio aliud nihil est, quam affectus animi ex intimis enascens præcordiis, quo quis amore simul, pudore, & dolore tactus ob injurias amantissimo Redemptori ab ingratis hominibus illatas; hunc suum amorem, pudorem, ac dolorem Jesu pedibus abjectus testatur, conaturque profundissima animi summissione ac reverentia, offensas ab aliis, atque a semetipso irrogatas, abolere & quoad fieri potest compensare. Porro hujusmodi exercitationis exemplum ac formula inferius tradetur.

Præterea eo illo die templa obeunda frequentius, ut cæterorum Christianorum negligentia, qui Jesu Salvatoris sui penitus obliti, ad eum nunquam officii causa adeunt, assiduitate nostra, hac saltem die compensentur. Eo vero habitu, ea modestia, ea reverentia templa frequentanda, ut appareat animum esse, irreverentias ibidem admitti solitas abolere. Quinquies quoad fieri poterit hac die Jesus visitandus est. 1°. Eo fine, ut ei gratias habeamus ob immensum beneficium nobis in tanti Sacramenti institutione præstitum. 2°. Ut Jesu itidem gratias referamus, quod toties sacro ejus corpore

pore in sacra mensa pasti fuerimus: atque etiam pro cæteris omnibus gratiis in hoc Sacramento acceptis. 3º. Ut violati honoris expiationem Cordi divinissimo pro omnibus injuriis ac sacrilegiis, quibus ab hæreticis, aut infidelibus affectum est, adhibeamus. 4º. Ut pro innumeris etiam ac gravissimis fidelium offensis faciamus fatis. 5º. Denique ut Jesum tot in desertis locis residentem, ubi tam male habet, tam raro visitatur, tam ex omni parte negligitur, ea loca animo lustrando, suprema adoratione & amore debito prosequamur. Demum preces & orationes in laudem sacrosancti Cordis conscriptæ, ut in aliis ejusmodi piis officiis affolet, pro cujusque affectu, ac commodo recitandæ. Quibus omnibus adjungi debent alia pietatis opera, penitentia, charitatis, misericordia, humilitatis, religionis, aliarumque virtutum, quibus in cæteris solemnitatibus animus præparari consuevit, ad gratias recipiendas illis diebus a Deo copiosius infundi solitas: quæque amor affatim suggeret.

## II.

Verum præter illam diem solemniorem quæ festo Cordis sui semel in anno celebrando, consecratam Jesus voluit, alia dies quolibet mense eidem SS. Cordi colendo dicanda similiter est: nimirum feria sexta prima occurrens initio cujusque mensis. Qua die similia prorsus opera præstanda erunt quæ ipso præcipuo festivitatis die usurpanda notavimus. Nempe frequentanda Penitentia & Eucharistia sacramenta; adhibenda violati  
ho-

honoris expiatio; obeunda Tempia; &c. Hæc porro ad praxim singulis mensibus deducere, grave videri non potest: quum nemo sit eorum qui pietati dant operam, qui sæpius in mense Sacramenta non suscipiat: nihilque vetet quominus feria illa sexta quam assignavimus, sacro convivio destinetur. Certe, si festum aliquod insignius in eam diem incideret, huic officio piæ personæ non deessent. Illa ergo feria sexta habenda est ut dies quædam sacratio, Cordi Jesu colendo dedicata, in qua ad divina mysteria accedi, Deo gratissimum erit.

## III.

Singulis præterea hebdomadis, feria sexta eidem cultui destinari potest: qua die superius statuta, vel omnino, vel ex parte pro cujusque devotione exercenda erunt. Fuere, qui initio, improbare visi sunt, certos dies sacro cultui sic toto anno definiri: unum diem sufficere volebant: quumque Jesus huic festo celebrando, feriam sextam post octavam Corporis Christi designasset, hac, contentos nos esse debere volebant: plures dies addi sine causa. Sed certe parum illi ad rem attendisse videntur. Nam 1º. solemne hoc est aliis omnibus pietatis officiis, ut non tantum semel in anno, sed mensibus præterea singulis, atque etiam hebdomadis, dies una his exercendis consecrata sit. Sic feria sexta cujusvis hebdomadæ, Passionis Christi memoriæ recolendæ, dicata est: & feria quinta institutioni sanctissimæ Eucharistiæ. Cur ergo in cultu Cordis Jesu hoc

S

im-

improbabitur, quod in aliis similibus Ecclesia probat? Præterea, si laudabile est Deoque gratum, Cor Jesu semel in anno solemniter colitur; quis non videt laudabilius fore, Deoque gratius, si cultus ille sæpius in anno renovetur? Demum, quum Jesus declarare dignatus sit, sibi vehementer acceptum esse ut Cor suum a fidelibus colatur: quid amplius expectamus, ut ad cultum huic divinissimo Cordi adhibendum accendamus; non tantum semel in anno, aut mense, aut hebdomada, sed diebus etiam singulis atque horis, si fieri possit? Et vero ita solent sinceri cultores Cordis Jesu: nullam siquidem diem prætermittunt, nullam fere horam cultu sanctissimi Cordis vacuam. Sive enim ad Altare sacrificii causa, seu ad sacram Communionem accedunt, sive Missarum solemnibus interfunt, sive Tempora obeunt, seu orant, Cor Jesu assidue cogitant: huic sese strictissime conjungunt: eo apud Patrem æternum sine intermissione utuntur, ut accessum facilem ad misericordiæ Thronum inveniunt: sua demum omnia ad Dei gloriam animæque salutem ac perfectionem spectantia, cum hoc divino Corde, per ipsum, & in ipso perficiunt. Sed hæc, jam Sanctorum hominum autoritate & exemplis confirmare juvat.